



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

Festvm SS. Corporis. Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

rium hoc claudamus, cor nostrum. Aut enim hoc,  
aut nihil capit DEVM.

*Quemadmodum reliquis omnibus membris caput  
anteponis, & cetera membra objicis, ut ictum à ca-  
pite avertas; ita Sancte & ejusdem essentia Trini-  
tatis fidem sine qua vitam, qua vere vita sit, vive-  
re nemo potest, rebus omnibus antepone. S. Ephrem  
in Vit. rect. rat.*

## FESTVM SS. CORPORIS CHRISTI.

**I**VAT pompe, quam omnis hodie orbis Chri-  
stianus dicit, exordia paucis denarrare. Virgo  
fuit non procul Leodio; nomen virginis Iuliana.  
Hæc dum cœlos, quos animus jam habitabat, oculis  
etiam obambulat, novam Lunam aspicit, à quâ  
altera lubens lucem suam mendicaret: pleno  
tamen incremento aliquid restare videbatur. Sub-  
inde audit Ecclesiam hanc esse Christi sponsam,  
cui porrò ad decoris supplementum nihil decesset  
quam ut sponsum suum sub pane latitatem festo  
die, & pompa celebraret. Et verò ad hoc operam  
Iulianæ cœlum expetere. Diu linguam Virginis  
modestia ligatam tenuit, dum amor denique sol-  
vit, & detegere visum, cum alijs, tum è Canonico-  
rum collegio unusquisque. Is tunc Io. Lansenna  
post Pont. Urbanus IV. fuit. Et fortè dum hic ad  
clavum Ecclesie sedet, Bolsenæ Sacerdotis sacrifici-  
antis mentem dubitatio subiit de Numinis in  
S. Eucharistiâ præsentia. Vulneravit hæc perfidia  
Christum. Nam præterquam quod remoto panis  
velo, in conspectum se dedit, scatere sanguine ca-  
lix, & effundere se hic in aræ linteæ visus est. Tum  
verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per  
urbem illam est circumlatum; jamque urbem

A 3 unam

unam omnis orbis æmulatur. Rectè porrò nos faciemus, si in ferculum Deo nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò comminodabimus. Ex bish. revel. Inst. uener. Sacram.

Christiane, qui se hic tibi manducandum dedit, quid tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum paravit ad viatum, quid in illa mansione perpetua non paravit? Manducabis in Mensa mea: audisti Dei convivium; sollicitus non sis de qualitate convivij. S.Pet.Chrys. f.95.

## FESTVM S. ANGELL CVSTODIS

**D**A mihi Arge, ô Angele mi, da penitentiam vel unam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ô! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ô Custos unice! Infantí sinum, pueró manum dedisti, ô Pædagoge amantissime! Tu verba formare, & nunc Patrem in cœlis Iesum, nunc Matrem Mariam clamare, tu nunc artes humaniores, nunc severiores docuisti, ô doctor fidissime! Tu in hivio virtæ dubio viam Mercurius monstrasti, præfisti, duxisti, insidias detexisti, in hospitium ô quale introduxisti, dux fidissime! Sed vin' compendium tuarum dem laudum? morituro quotidie aurem vellicas: irati judicis timere vultum doces: mones præcipitia infera cavere, cœli ardua digito ostendis, ad hæc expetenda cogitationibus animum adhortaris, & fatigatum manu ducis, succumbentem portas, ægrum foves, impugnatum propugnas. Illud quantum est; quodd, nisi ego te vivus, tu etiam mortuum non es deserturus. O Mi